



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Restitutionis faciendæ duplex est ratio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Repræsaliarum. 469

Repræsaliarum iniquitas frequens fortè est, vel quia iniustæ decernuntur, utpotè non propter constitutam culpam præsentium negligentium facere iustitiam. Nam si non constet illos puta Florentinos culpabiles esse negligendo facere iustitiam populo Romano creditori Florentiæ, iniquæ essent repræsaliæ à Romanis contra Florentinos: sicut esset iniustum bellum contra Florentinos sine culpa communicatis propter culpam alicuius particularis civis. Repræsalia enim est species belli particularis. Contingit quoque iniquitatem in executione intervenire, vel in quantitate plus exigendo: vel in qualitate clericorum res accipiendo, clerici enim intelliguntur exempti à repræsaliis: vel in substantia, ut si facerent repræsalias non solum res sed personas accipiendo: quia in persona nec pater portat iniquitatem filii, nec filius patris.

Capita octo sunt in materia restitutionis consideranda.

Restitutio confessoribus sæpe occurrit discutenda, & necessaria est (quia non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum) nec facilè potest quilibet discernere casus eius multos, & ex multis capitibus contingentes, ideò diffusiore opus est doctrina. Sunt igitur octo capita in restitutione consideranda, scilicet quis, quid, quantum, ubi quando, quomodo, & quo ordine.

Restitutionis faciendæ duplex est ratio.

Caput primum est quis tenetur ad restitutionem. Et quantum ad hoc notandæ sunt duæ radices restitutionis omnis. scilicet acceptio, & res: ita quod omnis restitutio aut est debita ratione acceptionis præcedentis, aut ratione rei acceptæ. Et extenditur hic acceptionis & accepti nomen ad omnem actionem qua

qua alienum accipitur, siue verè accipiendo siue dam-
 nificando : ita quod accipere dicitur non solum
 qui mutuo accipit, aut emit, aut furatur, aut rapit,
 sed qui comburit, qui detrahit, qui conuitiatur: & sic
 de aliis. Et quoniam acceptio duplex est (.s. vel iusta:
 vt per mutuum, aut emptionem, aut depositum, con-
 ductionem &c. vel iniusta: vt rapina, vsura detractio
 &c.) omiſſa prima, vtpote clara confessoribus, de se-
 cunda habendum est pro regula generali restitutio-
 num, quod quicumque est causa iniustæ acceptio-
 nis, tenetur ad restitutionem : ita quod ex prima radice
 oritur hæc regula: Ad cognoscendum quis tenetur
 restituere, responde & dic, quicumque fuit causa in-
 iustæ acceptio- nis: ita quod si vna acceptio iniusta eo-
 dem vel diuerso modo à multis causata est, quilibet
 illorum tenetur restituere. Et ne vageris quærendo
 quot modis causare quis potest iniustam acceptio-
 nem, vt teneatur ad restitutionem, suscipe laborem
 patrum nostrorum in his versibus positum. Iussio,
 consilium, consensus, palpo, recursus: Participans, mu-
 tus, non obstans, non manifestans. In his enim, no-
 uem modi ponuntur quibus aliquis cooperatur in-
 iustæ acceptio- ni, quam alius exequitur: ita quod com-
 putato exequutore qui ipsam actionem iniuste exer-
 cet, inueniuntur decem genera personarum, quæ te-
 nentur ad restitutionem ratione iniustæ acceptio-
 nis: quarum septem directè, tria verò vltima indire-
 ctè ad causandam iniustam acceptio- nem concu-
 runt. Inchoando igitur ab exequutore (qui non com-
 putatur in dictis versibus, sed præsupponitur quia de
 cooperato- ribus tantum loquuntur versus) scito quod
 exequitor iniustæ actionis, hoc est ille qui exercet per
 seipsum illam (vt est ille qui furatur, qui occidit, qui
 dat ad vsuram, qui detrahit &c.) siue hoc faciat
 motu proprio, siue ex præcepto domini, siue pro pro-
 prio

prio, siue pro alieno lucro tenetur ad restitutionem: quia est verè causa proxima efficiens iniustam actionem: vt clarè patet. Et hinc patet, quod sicut vulnerator aut occisor proximi ad domini sui mandatum & vtilitatem tantummodo, tenetur satisfacere vulnerato vel occisi hæredibus: ita minister vsurarii quæ ad mandatum & vtilitatem domini sui tantum exercet vsurariam prauitatem tenetur ad restitutionem: & sic de aliis. Nec obstat quòd si ille minister non faceret, quod per alium omnino fieret: sicut non obstat vulneranti quòd si ipse non vulneraret, quòd omnino per alium vulneraretur, scriptum est enim: Necessè est vt veniant scandala, veruntamen væ homini illi per quem scandalum venit.

Et hoc intellige secundum veritatem iustitiæ propter rationem dictam, nam secundum quandam humanam æquitatem ministri vsurarum ad aliorum tantum vtilitatem excusari videntur à debito restitutionis: veritas tamen iustitiæ præferenda est huic humanitati: magis tamen tenetur ad restitutionem Dominus quàm minister.

Ingressi autem expositionem versus ordine quo numerantur, occurrit primò iussio, hoc est præcipiens fieri actionem iniustam. Iubens enim habet rationem principalis causæ mouentis suo imperio ad patranda actionem iniustam, & ideo tenetur ad restitutionem. Consilium: hoc est dans consilium efficax ad perpetranda actionem iniustam, causa est directè mouens suo consilio ad illam: & ideo tenetur ad restitutionem. Notanter autem dixi efficax: quia si consilium non peruenit ad hoc quòd sit causa rapinæ, non tenetur qui dedit consilium iniustitatis ad restitutionem: quamuis peccauerit mortaliter. Consensus: hoc est ille qui suo cōsensu causat
aut

aut concausat actionem iniustam.

Vbi nota quòd de consensu oportet distinguere inter consensum qui est causa, & inter consensum qui solummodo est consensus, & non causa, verbi gratia: tractant aliqui de bello iniusto: requiruntur ii ad quos spectat: consentiunt. Horum consensus non solum est consensus, sed causa belli iniusti, quia ex horum consensu pendeat negotium. Audiunt plerique alii huiusmodi negotium, placet eis, consentiunt: dicunt, fiat. Horum consensus est solummodo consensus, & non causa belli iniusti: quum ex ipsis voluntas volentium bellum iniustum facere, non pendeat, non mutetur, &c.

Attende ergo si consensus fuit causa seu concausa actionis iniustæ. Et si fuerit causa seu concausa: scito ex tali consensu teneri ad restitutionem ex hoc ipso quod fuit verè causa iniustæ acceptionis. Et hunc habere potes quòd si in communitate aliqua plura vota vincunt, & dum dantur vota aperta, aliquis ex ultimis videns vnita vota præcedentium iam vicisse, & videns quòd suum votum in contrarium nihil prodesset, consentit ob aliquem humanum respectum iniusto facinori, peccat quidem mortaliter) quia consentit iniquitati) non tenetur tamen ad restitutionem, quia consensus eius nec est causa nec concausa. Secus autem est de præcedentibus: quia licet prævideant subsequentes consensum daturus, non propterea consensus eorum à causarum numero excluditur: tum quia consensus omnes antecedentes sunt & tendunt verè ad integrandam causam: tum quia in instanti homo mutatur, & propterea possent subsequentes dissentire: quorum nullum locum habet in primo casu. Et hinc fit, vt indigno secundum Deum canonicè tamen electo alii consentiant, peccent quidem mortaliter, non tamen tenentur in conscientia

de

de damnis spiritualibus & temporalibus. subsequen-
 tib: quia consensus eorum non est causa quod eli-
 gatur, sed consensus concurrens vt consensus tan-
 tum: nisi consensus eorum esset concausa vt confir-
 maretur: quod tunc non habet locum quando scitur
 quod electio omnino erit confirmanda. Et sic de si-
 milibus: Palpo: hoc est laudator criminis sub specie
 boni: puta quia sic oportet domare stultos, &c. Sed
 hic etiam opus est discretionem an adulatio sit causa
 acceptationis iniustæ, an non. si enim pura est adu-
 latio, non tenetur ad restitutionem: quamuis peccet
 mortaliter: si verò est non solù adulatio latificatiua,
 sed causatiua iniustæ actionis, tenetur ad restituti-
 onem adulator.

Recurfus: hoc est receptor refugiumque iniustæ
 agentis. Est enim huiusmodi complexus causa iniu-
 stæ actionis: & antequam fiat, tanquam præbens seu
 adiuuans securitatem iniustæ agendi, ac tanquam
 conseruans hominem in perseverando ad iniustas
 actiones: & postquam facta est, tanquam saluans il-
 lam quasi proprius socius eius, & breuiter sicut patro-
 nus iniquitatis patrociniū illi præstans. Et pro-
 pterea ad restitutionem tenetur. Participans: hoc est
 qui particeps est criminis siue vt socius, siue vt me-
 diator, siue vt explorator, & vniuersaliter quomodo-
 libet particeps est criminis illius iniustæ actionis.
 Particeps enim quicumque si sic est particeps crimi-
 nis vt sit etiam causa seu concausa iniustæ actionis,
 tenetur ad restitutionem ratione ipsius actionis. De
 particeps autem rei acceptæ dicetur infra in secunda
 radice restitutionū: nunc enim de debito restituendæ
 ratione actionis tractatur. Mutus, hoc est qui & po-
 test & tenetur loqui consulendo, reprehendendo,
 præcipiendo, &c. & tamen tacet. Talis enim quia
 est causa non directè seu positivè, sed indirectè &
 priuatiuè

privatiuè iniustæ acceptionis sicut in curia seu somnus naucleri est causa submersionis nauis) ideò tenetur ad restitutionem. Notanter autem dixi, qui potest & tenetur: quia licet aliquis possit, si tamen non tenetur, computatur extra causas actionis sequentis, ad priuatiuam enim causam iniustæ actionis exigitur quòd debeat, seu teneatur impedire: alioquin non ei imputatur: ut patet ex hoc quòd Deus potest quidem obuiare cuilibet peccato hominis: quia tamen non tenetur, non ei imputatur peccatum aliquod nostrum. Qui ergo potest & debet præcipere aut cōsulere, & tacet, quia non impedit iniquam actionem quam tenetur & potest impedire, causa est illius, ac per hoc tenetur ad rationem. Et ne vageris quærèdo quis est qui tenetur, scito illos solos esse quibus ex officio incumbit præcipere, cōsulere, &c. & idem intellige in duobus sequentibus.

Non obstans: hoc est non præbens auxilium impeditiuum actionis iniustæ, si tamen potest tenetur: quia sic esset indirectè priuatiua causa iniquæ actionis. Et propterea domini temporales qui non obstat latrociniis crebrescentibus in terris suis, tenentur ad restitutionem damnum passis: quia possunt & tenentur ad hoc de officio: quia sunt custodes iustitiæ.

Non manifestans: hoc est non manifestans inuaso-rem vel tunc vel post factum, ita quòd non manifestatio sit causa vel iniustæ actionis vel iniustæ detentionis. Et hoc tunc tantum est quando aliquis potest & debet manifestare: alioquin non esset causa iniustæ actionis vel detentionis. Et propterea testis non manifestans quod potest: quia ex officio ei incumbit, tenetur ad restitutionem eius damni quod patitur alter ex ipsius non manifestatione. Et sic de similibus. Aduerte quòd in his tribus immediatè præcedentibus capitibus (scilicet mutus, nō obstans, nō manifestans) quamuis

quamuis verum sit regulariter quod soli illi quibus ex officio incumbit loqui, obstare aut manifestare, comprehendantur: verum tamen quoque est comprehendi illos qui ex occurrenti articulo necessitatis urgentis, manifestè tenentur & possunt absque suo damno & periculo: vt si quis sciat inuasurum aliquam domum alterius, & rapturum seu furaturum: & nisi ipse præsignificet, sequetur furtum, & potest absque periculo & damno prouidere, reus est furti: sicut reus esset homicidii, si eodem modo sciret homicidium futurum, & posset prouidere & non curaret. Et quia est causa iniustæ actionis quamuis indirectæ, ad restitutionem tenetur. Hæc ergo decem personarum genera teneri ad restitutionem intellige cum duplici adiectione. Prima est, si effectus est subsequutus: hoc est iniusta actio inferens damnum proximo. Nam si actio iniusta non est subsequuta, aut si esset subsequuta, non tamen damnificasset proximum, nullus tenetur ad restitutionem: quia restitutio non est necessaria, nisi vt alterius damnum recompenferetur: ac per hoc vbi nullum fuit damnum, nulla est opus restitutione. Secunda est, quod quilibet supradictorum tenetur ad restitutionem in solidum, hoc est ad restituendum totum damnum quod causauit seu concausauit: quia fuit causa actionis quæ intulit totum illud damnum: quamuis enim non fuerit solus in causando, fuit tamen concausa totius actionis quæ damnum illud intulit. Et hæc quo ad primam restitutionum radicem (scilicet actionem iniustam) pro nunc sufficiant ad discernendum ex hac radice quis teneatur ad restituendum. Secunda verò radix restitutionum est res accepta, & iuxta hanc ponitur generalis regula, quod quilibet habens rem alienam tenetur eam restituere. Et in promptu causa est: quia res illa non est ipsius, sed alterius: ac per hoc non deuenienda sed danda illi

cuius est. Si enim nō redderetur illi, minus haberet de suo, & damnū pateretur: quod cōstat esse iniquum.

Aduerte circa hanc regulam, quòd res aliena dupliciter potest, scilicet vel bona vel mala fide: & rursus vel in seipsa, vel in aliqua re seu effectu loco illius rei. puta quia habetur illius pretium, vel habetur res propria conseruata quæ consumpta fuisset nisi affuisset vsus rei alienæ. Et si quidem mala fide res aliena habeatur: quomodolibet habeatur, tenetur restituere. Si autem bona fide habeatur in seipsa, tenetur eam restituere: quia aliena est. Et hinc fit, vt qui bona fide emit rem alienam quam putabat esse vendentis, teneatur restituere eam Domino rei absque pretio aliquo: quia restitutio illa oritur ex re aliena, & non ex culpa acceptionis. Si autem bona fide habeatur non in seipsa, sed in suo vel pretio vel effectu, vel quocunque alio simili aut quasi simili modo, tenetur restituere id in quo factus est ex re illa locupletior & non plus: & si in nullo factus est locupletior, ad nullam tenetur restitutionem. Et hinc primò fit, vt si quis bona fide rem alienam sibi dono datā vendidit, teneatur restituere domino rei pretium: quia factus est ex re aliena locupletior in illo pretio. Fit secundò, vt si ipse emisset, & vendidisset absque lucro eandem rem, ad nullam restitutionem ipse teneretur, sed solus ille apud quem res est: quia aliena est, & aliter non est ex ea factus locupletior.

Tertiò, vt si quis bona fide inuitatis ad coenam de alieno vitulo comedit, si omnino consuetos sumptus in domo sua coenæ propriæ currit, non tenetur ad restitutionem: quia non est factus ex vsu rei alienæ locupletior. Si verò propter cōuiuium pepercit sumptui quem fecisset pro coena propria, tenetur ad restituendū non quācum valent comesta in conuiuiio, sed quantum factus est ex rei alienæ vsu locupletior.

Et hæc

Et hæc ideò sint specialiter dicta: vt ex his similia scias diiudicare de vsu alienæ vestis aut cuiuscunque alterius rei alienæ quando bona fide actum est: aduertendo quòd nulla est quo ad restitutionem differentia inter rem alienam, & fructus rei alienæ: quia fructus ipse est res aliena si fructus est rei alienæ: scilicet si esset fructus industriæ ex re aliena.

Ex his regulis & exemplis reliqua omnia iudicari posse puto de restitutione ex parte rei consurgentes sicut ex antedictis potest iudicari de restitutione ex parte actionis iniustæ consurgente, & sciri quis teneatur ad restituendum. Quando verò aliquis teneretur ad restituendum ex parte vtriusque, scilicet actionis iniustæ & rei acceptæ (vt quum is qui iniuste accepit, habet rem apud se vel pretium eius) non oportet occupare librum: quia ex simplicibus consurgunt composita: & applicanda dicta de vtraque restitutionis radice, & regulæ earum, facillimum est nosse hoc compositum: scilicet obligatum ad restituendum ex vtraque vel altera radice.

Restituionis affectus est circa quidditatem considerandus.

Caput secundum, quid restituendum est. Vbi distingue de rebus vel damnis restituendo, & scito quòd si res aliena extat, illa restituenda regulariter est, si verò non extat, aut ex aliquo singulari casu occurrente non potest reddi, restituendum est æquivalens. Damna verò vitæ, membrorum, sanitatis, libertatis, honoris, famæ, iurium, fructuum, seminum, damni emergentis, vel lucri cessantis, & similia, restituenda sunt vt possibile est in bonis aliquibus loco damnorum, ita vt boni viri arbitrio satisfactum reputetur quantum ad quid, pro quo, de quantitate enim nunc dicitur.

G g 2

Quantitas